

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

10 April 2000

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only.

DO NOT USE PENCIL.

1. **Petrus Alfonsus:** Make ‘em laugh, make ‘em cry, make ‘em wait.

Ad hec rex: Plurimas iam narrasti, sed breuissimas. Vellem uero aliquam te narrare que multis producatur uerbis, et sic te dormire permittam. Concessit fabulator et sic incepit:

Erat quidam rusticus qui mille solidos habuit. Hic autem in negociacionem proficiscens comparauit bis mille oues, singulas senis denariis. Accidit eo redeunte quod magna inundacio aquarum succresceret. Qui cum neque per pontem neque per uadum transire posset, abiit sollicitus querens quo cum ouibus suis transuehi posset. Inuenit tandem exiguum nauiculam que nisi duas oues una cum rustico ferre non ualebat. Sed tandem necessitate coactus duas oues imponens aquam transiit.

His dictis fabulator obdormiuit. Rex siquidem illum excitans ut fabulam quam inceperat finiret commonuit. Fabulator ad hec: Fluctus ille magnus est, nauicula autem minima et grex ouium innumerabilis. Permitte ergo supradictum rusticum suas transferre oues, et quam incepi fabulam ad finem perducam. Fabulator etenim hoc modo regem longas audire fabulas gestientem pacificauit.

2. Looking for Mr. Scratch, Part 1: St. Christopher (*Legenda aurea*).

Cui Christophorus respondit: "Vado quaerere dominum diabolum, ut ipsum in dominum mihi assumam." Cui ille: "Ego sum ille, quem quaeris." Gavisus Christophorus se sibi in servum perpetuum obligavit et ipsum pro domino accepit. Cum ergo ambo pergerent et in quadam via communi crucem erectam invenissent, mox ut diabolus ipsam crucem vidit, territus fugit et viam deserens per asperam solitudinem Christophorum duxit et postmodum ipsum ad viam reduxit. Quod videns Christophorus et admirans interrogavit illum, cur in tantum timens viam planam reliquerit et tantum devians per tam asperam solitudinem ierit. Quod cum ille nullatenus indicare vellet, dixit Christophorus: "Nisi mihi hoc indicaveris, statim a te discedam." Quapropter compulsus diabolus dixit ei: "Quidam homo, qui dicitur Christus, in cruce fixus fuit, cuius crucis signum cum video, plurimum pertimesco et territus fugio." Cui Christophorus: "Ergo ille Christus maior et potentior te est, cuius signum in tantum formidas? In vacuum igitur laboravi nec adhuc maiorem mundi principem inveni."

3. Looking for Mr. Scratch, Part 2: the *Liber de Angelis*

Vt habeas dominium super demones & maxime super Baal, qui est magister eorum, qui dat uera responsa & ambigua, quod fit omni die, omni hora, omni momento, tamen melius est in die Mercurij, Sole occultante, Luna crescente. Igitur illa hora huius diei fac ymaginem de recente cera ad similitudinem hominis, pedibus distortis. Hanc ymaginem asperge de aqua que uertitur cum rota molendini ter die tribus diebus proximis postquam facta fuerit, & illine eam de sanguine nigre galline in fronte, in pectore, & in pedibus. Nono die post, scribe in pectore eius sigillum Solis & in dorso eius sigillum Lune. Tertia uero die suffumiga cum herbis thuris, deinde pone sub aqua torrentis per 9 dies. Postea eam de loco amove, et asperge cum sanguine columbe, et fac tributum cum tribus denarijs diuersarum monetarum, dicens:

Coniuro uos Baal, Auel, Dariel, Troion, Orion, per creatorem celi & terre, & per eius omnes uirtutes, & per caput regis veri, & per omnes principes uostros, vt consecretis hanc ymaginem & faciatis ut respondeat mihi ueritatem de omnibus que ab eo quesiero.

4. From the Play of Daniel

Tunc duo, flexis genibus, secreto dicent Regi ut faciat accersiri Danielem. Et Rex iubeat eum adduci. Illi autem, aliis precipientes, dicent hec:

Audite, principes regalis curie,
 qui leges regitis tocius patrie:
 est quidam sapiens in Babylonia
 secreta reserans deorum gratia.
 Eius consilium Regi complacuit,
 nam prius Balthasar scriptum aperuit.
 Ite velociter, ne sit dilatio:
 nos uti volumus eius consilio.
 Fiat, si venerit, consiliarius
 Regis, et fuerit in regno tercius.

Legati, invento Daniele, dicent hec ex parte Regis:

Ex regali venit imperio,
 serve dei, nostra legatio.
 Tua Regi laudatur probitas,
 te commendat mira calliditas,
 per te solum cum nobis patuit
 signum dextre, quod omnes latuit.
 Te Rex vocat ad suam curiam,
 ut agnoscat tuam prudentiam.
 Eris supra, ut dicit Darius,
 principalis consiliarius.
 Ergo veni: iam omnis curia
 preparatur ad tua gaudia.